

onem inter barbaras gentes. Cœpta hæc quidem hæctenus felici progressu; at cum vicinæ Paganorum gentes Christianorum Sacerdotum operas continuò infestarent, Bertholdus Meinhardi Successor, ac secundus Livoniæ Episcopus, ex Lucensis ordinis Cistertiensis Cœnobij Abbate delectus, Romam se ad Innocentium Pontificem contulit, expositaque ingenti spe messis Evangelicæ, quæ inter Livones haud secus, quam inter Sclavos jam Christo partas haberi posset, impetravit a Pontifice apostolicas literas ad Saxoniam & Westfaliam Principes populosque; quibus ampla noxarum indulgentia facta, quotquot cruce signati in sacram hanc militiam transirent. Ijs Pontificis literis vulgatis, multi Westfaliam & Saxoniam nobiles ac milites incensi, inter hæc civilia bella multo salubriori consilio in Livoniam transgressi, christianam religionem adversus barbaros propugnare.

Magno in hanc rem adjumento hortamentoque fuit Bernardus de Lippia, qui per id tempus cum Bertholdo Episcopo Romam profectus, aut certè in Westfaliam transgressus, Ipse & Bertholdus ejusdem Cistertiensis Ordinis Abbas novas secum religiosorum virorum ac Sacerdotum Colonias ex Westfalia & Saxoniam in Livoniam traduxere, quorum ipse Bernardus moderator fuit; ut ob id à Cæsario Abbas Livoniæ appellatus sit. Tantus nunc christianæ religionis propugnator, palam docendo ordinandoque res sacras, quantus ante sub signis Henrici Leonis bellator militando conspectus, quo suo exemplo mirificè excitavit nobilium per Westfaliam animos ad sacram militiam transeundi.

Annus Christi 1200.

Innocentij III Pont. 3.
 Ottonis IV & Philippi Reg. 3.
 Bernardi II Ep. Pad. 15.

Duodecimum dehinc sæculum cum anno millesimo ducentesimo claudimus, civilibus adhuc discordijs turbidum. Quippe Conradus Moguntinus Archiepiscopus, quum pacem anno superiori Boppardiæ ac Colonia frustra tentaverat, id negotium hoc anno resumpsit, indicto inter Andernacum & Confluentiam Principum conventu, de quo Godefridus, atque ipse Otto Rex in literis ad Pontificem inter cetera scribit. *Nolamus ignorare sanctitatem vestram Moguntinum Archiepiscopum feria sexta post festum S. Jacobi Apostoli indixisse colloquium inter Andernacum et Confluentiam, in quo ex parte nostra intersunt Coloniensis Archiepiscopus, Monasteriensis Episcopus, Leodiensis Electus, Trajectensis Episcopus, Paderbornensis Episcopus, Abbas Corbeiensis, Dux Brabantia, et Comes Flandria. Ex parte verò Ducis Sæviæ Salisburgensis Archiepiscopus, Frisingensis Episcopus, Argentinensis Episcopus, Basiliensis Episcopus, Trevirensis Archiepiscopus, Dux Merania, Marchio Conradus de Landassen, B. Dux Ceringia, et ipse Moguntinus tanquam media-*

Bbbbbb

tor,

presbyt. in
 Lappest.
 Oderic. in
 histor. Ec-
 cles.
 Rovius
 in histor.
 Eccles.
 Ruffon. in
 Chron. Li-
 von.
 Heister in
 Siff.
 Fides
 christia-
 na in Li-
 vonia
 propa-
 gatur.
 Operâ
 maximè
 Berthol-
 di Ep. &
 Bernardi
 de Lip-
 pia.
 Cæsarius
 lib. 9 c. 37.
 Dialog.